vbi ſenſit toto ſe timore aſpergi, repetebat, quam fugerat mortem, melius exiſtimans morti ſuccumbere, quam timori.

64. De viris iuſtis, ac ſanctis, ait Paulus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Hebr. 11. num. 37. Quid eſt quod fortiſſimi Dei milites ſic per montes, & deſerta mortem fugiunt? fugiunt non horrore mortis, ſed mortem vili pendentes, vt ſæuius tormentum ipſa morte inueniant, dum ſub mortis timore degunt, ſingulis horis hoſtes mortem illaturos ſpectantes, ac timentes. D. Athanaſius in Apologia pro ſua fuga. *Obſeruabant*, ait, *& quidem conſulto; ne ſe ſe periculis obijcerent, ne cum crimine ignauiæ, quaſi ignaui, timidique exilij ærumnas morte grauiores exhorrerent, qui enim moritur, quieſcit à miſeriis: qui autem in fugam ſedat, cum ad horas inimicorum adortus expectet, mortem longè leuiorem, quam fugam exiſtimat.* Horum iuſtorum merito admirabatur Paulus dicens, *quibus dignus non erat mundus*: fugiebant non mortem naturalem, quam contemnebant, ſed vt duriorem mortem inuenirent, viuentens ſub mortis timore.

Hebr. 11.

Athanaſ.

Naturalem mortem contemnebant, duriores quærentes.

65. Ait Apoſtolus Petrus epiſt. 1. cap. 3. n. 14. ſuos diſcipulos contra Tyrannos exhortans. *Timorem autem eorum ne timueritis.* Congruentius videbatur dicendum, ne timeatis mortem ab eis inferendam, ait tamen. *Ne timorem eorum timeatis.* Præuidebat optimè Apoſtolus duriorem ipſa morte eſſe illius timorem, & ideo mortem paruipendens exhortatur, ne illius timorem perhorreſcant.

1. Pet. 3.
Durior morte illius timor.

Qvæstio X.

Quare ex diuina pietate breuiantur dies illi propter electos?

66. BREVIABVNTVR dies, ſeu diminuti, ſeu contracti erunt propter electos ex diuino decreto, vt iam dixi in expoſitione, ex quo eximiam Dei clementiam erga totum mundum, multis criminibus, ac peccatis oppreſſum ponderat in præſenti Caietan. *Benignus*, ait, *mauult erga promiſcuam multitudinem propter electos clementia vti, quam ſolos electos à plaga illa ſeruare, quod facillimè poſſet.* Mundus multis abundauit malitiis, & peccatis, proindéque æquum erat, vt tyrannide, ac perſecutione Antichriſti premeretur, & vexaretur, ſed propter electos breuiabuntur dies illi, ob illos enim eximiam indulgentiam magnæ multitudini peccatorum ſolet Deus liberaliſſimè concedere. Ait Deus per Ieremiam cap. 5. num. 1. *Circuite Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis circumfacientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Pro vno viro iuſto vniuerſæ ciuitati vult parcere. N. D. Cyrillus lib. contra Iulianum. *Vide*, ait, *quomodo vnum pro multis compenſandum recipiat Deus, & populoſam ciuitatem cum vno iuſto, & bono potius ſeruet, quam vnum iuſtum cum multis impiis perdat.*

Caietan.

Deus ob iuſtos multis propitiatur peccatoribus.

Ierem. 5.

Cyrill.

67. Secundò. D. Auguſtinus ad Euthychium apud D. Thomam ſic ait: *Quidam conuenienter mihi intellexiſſe videntur mala ipſa ſignificata nomine dierum: ipſa enim dicta ſunt breuiari, vt Deo tolerantiam donante minus ſentirentur, ac ſi quæ magna eſſent, fierent breuia.* Ex tolerantia à Deo accepta, minus ſentietur malum, quo premebuntur iuſti, nam ex tolerantia à Deo conceſſa, multi, & longi dies ſic tranſibunt, quaſi ſi vnus tantum eſſet dies.

Auguſt.
Tolerantia breuiat calamitates.

Tertiò. Dilatio afflictionum, ac miſeriarum, etiam in viris magnis metuenda, quapropter, vt electis ſuis proſpiciat Dominus vbi perſecutionem ſæuire viderit, leuamen maturabit, & dies ipſos ad breuitatem rediget; per tres dies, & tres noctes filium hominis futurum in ſepulchro prædictum erat. *Sicut fuit Ionas in ventre cetæ tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Matt. 12. num. 40. Triduum ſtatuerat Dominus iacere in ſepulchro. Tamen hoc triduum maximè abbreuiauit; vt veniente die tertia mane diluculo èmonumento exierit? Cur tanta dierum recapitulatio? Vidit Dominus cùm eſſet in ſepulchro ſuos maxima afflictione vexari, vt orphanos, ac derelictos in pœnis vidit, inde ſic reſurrectionem maturauit, vt cum primum dies tertius eluxerit, è ſepulchro euolarit. D. Leo ſerm. 1. de Reſurrect. *Vnde*, ait, *ne turbatos diſcipulorum animos longa mœſtudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integram ſecundam diem pars primi nouiſſima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantulum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.* Expende illud, *ne turbatos diſcipulorum animos longa mœſtudo cruciaret.* 68.

Dilatio afflictionum, ac laborum maximè pericloſa.

Matth. 12.

Leo.

Matth. 24. *num.* 13. Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere.

Num. 24. Surgent enim pſeudo-chriſti; & pſeudo-Prophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, itavt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi

Num. 25. Ecce prædixi vobis: ſi ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetrabilibus, nolite credere.

VERSIONES.

Syriacus. num. 23. Tunc ſi quiſpiam dixerit vobis: Ecce hic eſt Meſſias.

Vatabl. n. 24. Exorientur pſeudo-Chriſti.

Syriacus. Edent ſigna magnifica, adeo vt inducant in errorem.

Tertul. aduerſ. Hæret. Et ſigna edent fallaciæ.

S. Proſper. In quibus ſeducentur, ſi dici poteſt.

Syriac. n. 25. Ecce in deſerto eſt, ne exieritis: aut ecce in cubiculo eſt, ne fidem adhibueritis.

S. Cyprian.

S. Cyprian. in exhort. Martyr. Ecce in ſolitudine eſt, nolite exire: ecce in cubiculis.

Arias. In conclauibus.

Alter Textvs.

Marci 13. *num.* 21. Et tunc ſi quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic: ne credideritis.

Num. 22. Exurgent enim pſeudo-Chriſti, & pſeudo-Prophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.

Num. 23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

EXPOSITIO V.

69. TV*NC ſi quis vobis.* Origenes, Abulenſ. Salmeiron, Franc. Lucas, Cornelius, hæc verba referunt ad excidium Hieroſolymæ. Multi tunc adulantes Veſpaſiano dixerunt ipſum vtpote victorem Iudææ eſſe Meſſiam: teſte Suetonio in eius vita. Veriſimilius mihi eſt hæc verba ad tempora Antichriſti pertinere, vt præter D. Ambroſ. D. Irinæus, D. Hilarius, & alios citatos ſuperiori expoſitione docent D. Chryſoſtom. Theophyl. Euthymius, Albert. Magn. D. Thom. Catthuſianus, Hugo, Maldon. Barrad. in nullo enim ſcriptore inuenitur poſt dirutam ciuitatem ſurrexiſſe pſeudo-prophetas facientes ſigna, & prodigia, vt in errorem inducerent, ſi fieri poſſet etiam electos. *Tunc*, tribulatione nempe illa magna temporis Antichriſti. Vel tunc, vt ait D. Thom. ſignificat tempus confuſum, & idem eſt, ac illis diebus. Nam vt rectè docent D. Chryſoſtomus, Theophylact. Euthymius, qui ait, *Tunc, interdum non ſignificat conſequentiam prædictorum, ſed initium tantum eorum, quæ dicenda ſunt, ſicut etiam in illis diebus.*

Origen. Abulenſ. Salmeiron. Franc. Luc. Cornel.

Suetonius.

Ambroſ. Irinæus. Hilar. Alb. Magn. D. Thom. Catthuſ. Hugo. Maldonat. Barradas.

D. Thom.

Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

70. *Surgent enim pſeudochriſti*, ideſt, qui mentiuntur dicentes ſe eſſe Chriſtum à Deo miſſum, *& pſeudoprophetæ*, falſi, & mentiti prophetæ. *Et dabunt ſigna, & prodigia*: per artem magicam diaboli ope, vt fecit Simon Magus. Actor. 8. n. 9. *Ita vt in errorem inducantur.* Errorem intellige finalem, vt obſeruant Catthuſianus, Hugo, Maldon. Nam electi aliquando peccant, tamen diuina gratia per pœnitentiam reſurgunt. *Si fieri poteſt etiam electi.* Tanta erit errorum, ac perſecutionum tribulatio, vt ſi fieri poteſt, etiam electi, decipiantur. Illa parentheſis *(ſi fieri poteſt)* indicat fieri non poſſe, vt electi cæleſtem amittant gloriam. Verum eſt, quòd electi cum liberi ſint, liberéque poſſint peccare, errare, & damnari in ſenſu diuiſo, vt inquiunt Theologi, at in ſenſu compoſito, ſuppoſito quòd Deus eos prædeſtinauerit, ac elegerit, fieri nequit, vt finaliter errent, & damnentur, nam ſeruato eorum libero arbitrio Deus per media ſuæ gratiæ, illos ſuauiter, ac certiſſimè adducit in ſempiternam beatitudinem, iuxta illud Chriſti Domini Ioan. 10. n. 28. *Non peribunt in æternum, & non rapiet quiſquam de manu mea.*

Act. 8.

Carthuſ. Hugo. Maldon.

Ioan. 10.

Ecce prædixi; futuros ſeductores, vt ab eis caueatis. Nota diſcrimen inter ſeductores, & veritatis magiſtros. Seductores multiplicant verba, multiplicique ore loquuntur, bis de illis notatur, quod dicant, ſemel *ſi quis vobis dixerit. Ecce hic eſt Chriſtus.* Et iterum infrà: *ſi ergo dixerint vobis*, &c. At veritatis magiſter vnum habet tantum defœcatum verbum. *Ecce prædixi vobis.* Mendaces multiplici ore, ac verbo loquuntur; verax verò vnum tantum habet verbum, & os. 71.

Mendax multiplici ore, verax vno loquitur.

Si ergo dixerint vobis; ecce in deſerto eſt. Quod ſuperius dixerat in genere, *ecce hic, aut illic.* Nunc particularius deſcribit: *ſi ergo dixerint vobis, quod, in deſerto eſt*; in loco ab hominum commercio ſeparato: *nolite exire* ad huiuſmodi locum. Et ſi dixerint vobis *ecce in penetralibus*, ideſt in locis concluſis, ac abditis, *nolite credere.* Hoc eſt, vt explicat Carthuſ. Vbicumque nunciauerint vobis alium Chriſtum, quam me, ne credatis; cuius ratio ſtatim ſubditur; *ſicut fulgur exijt ab oriente*, &c. ita publicus, ac manifeſtus erit aduentus filij hominis. 72.

Carthuſ.

Qvæstio XI.

Quàm variis modis Pſeudoprophetæ Chriſti milites ſeducere conabuntur, ſed Martyrum fides inuicta ſtabit?

QVANTA perſecutionum tempeſtas contra Chriſti milites armabitur, ſatis liquet ex præſentibus Chriſti verbis. *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiam electi.* Quod eleganter ponderat D. Gregor. Papa lib. 32. Moral. cap. 12. Penſemus, ait, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius Martyr, & corpus tormentis ſubiicit, & tamen ante oculos eius tortor *miracula facit? cuius tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, ſignis coruſcat.* O admirabilis, & miraculoſa fides Martyrum ſub illo ſæculo; cruciabitur Martyr à diro tyranno, qui non ſolum poteſtate imminet, ſed etiam ſignis, ac prodigiis coruſcat, & tamen martyris fides non minuitur, nec labefactatur; ſed firma, & robuſta perſeuerat; *Cuius tunc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatitur, quando is, qui flagris cruciat, ſignis coruſcat.* 73.

Gregor.

Admirabilis fides Martyrum ſub Antichriſto.

Secundò. Seducent, ac decipient Pſeudoprophetæ homines, illorum indolem, ac genium explorantes, & inquirentes, vt illis fomenta, ac irritamenta apponant, ad quæ quemlibet eorum viderint propenſum, & inclinatum. Artem ſui Magiſtri Dæmonis tenentes, ac imirantes, de quo ait D. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 7. *Intuetur*, ait, *inimicus generis humani vniuſcuiuſque mores, cui vitio ſunt propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit faciliùs inclinari mente.* D. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 385. *Non ſimpliciter adoritur*, ait, *callidus ille prædo eos, qui hoc tempeſtatis plenum mare nauigant, verum explorat prius, atque cognitis animæ propenſionibus, & appetitionibus, ita domum aggreditur. Quid enim eſt, quamobrem Iudam, non ad libidinem, ſed ad proditionem impulerit? nimirum, quia partem illam præſidijs firmatam videbat; eam autem, quæ ad auaritiam pertinebat, infirmam, & imbecillem. Ex ærumenæ enim furto* 74.

Gregor.

Iſidor.

in

in ſpem venit fore, vt ipſe a d preditionem quoque facilè ſe conferret.

76. Matth. 4. Tentauit Satanas Chriſtum Dominum dicens: *ſi filius Dei es, mitte te deorſum.* Matth.4. num.6. tentauit etiam Simonem Magum,vt per aëra volaret, tamquam ſi eſſet volucris cæli; vt tradunt Euſeb. Epiphan. Maxim. Euſebius lib.2. Hiſtor.c.13.D.Epiphan.hæreſ.22. D.Maxim.ſerm.de S. Petro,& Paulo. *Qui volare tentauerat, & qui pennas aſſumpſerat.* Cur tam diuerſa tentationum machinamenta parat Dei filio,vt ſe deorſum mittat, Simoni verò Mago, vt in ſublime feratur,iſte valdè ſuperbus,à cuius genio multum diſtabat meus Ieſus,qui totus humilis erat; ideo diuino Ieſu humilia obiicit, vano, ac fauſto mago alta,& ſublimia, vt alliciat.Citat. Peluſiota. *Iuxta cuiúſque inclinationes parat Dæmon.* Peluſiota. *Vniuſcuiuſque inclinationes inquirit Satanas,nec tempus vllum,aut horam prætermittit,itaque materias externe ſubminiſtrat,atque in ea parte, ad quamlibet propenſionem habere ſentit.*

77. Matth. 4. De Chriſto Domino ait D.Matth.4. n.2. *Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus,& quadraginta noctibus,poſtea eſuriit,& accedens tentator dixit ei.* Non tam largo ieiunij tempore acceſſit, ſed cum eſurientem intuetur, tunc cum in cibum procliuem ſcrutatur,nactus occaſionem, acceſſit, & ex propenſione ad pugnam aditus aperitur. *Ex procliuitate arma parat ad pugnam.* D.Chryſoſt. in Imperfecto.homil.49. *Diabolus,*ait, *deſiderium vniuſcuiúſque conſiderat, & ſecundum quòd viderit hominem deſiderantem aliquid, ex eo accipit occaſionem tentandi; vnde & Chriſtum cùm eſurientem vidiſſet, tentauit in fame.*

78. Iob.41. De Diabolo exclamat Iob 41. n.4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Quid eſt faciem indumenti notam facere?profectò idem eſt,ac ſi diceret,quis diaboli veſtem ex forma,ac ſpecie externa diſcernere poterit?homines tam nobiles,quam ignobiles ex habitu, & indumento communiter dignoſcuntur; at dæmonis indumentum nullus eſt,qui apprehendere valeat. *Dæmon varias formas induit, vt fallere poſſit.* Dęmoni enim nullus eſt certus habitus,nullus firmus color,ſed ſemper varius, aſſiduè mutat perſonam, ad vniuſcuiuſcúmque indolem, ac mores ſe conformat, omniũ appetitionum colores induit, vt facilè quemlibet decipiat,& perdat. Origen. Orig. in Catena Græca. *Quamobrem non dixit, quis reuelabit faciem eius? Sed addidit indumenti? Quid hoc loco vox ſonat indumenti? Vt id,quod dicitur,planius percipi poßit à laruis exemplum petamus.Sumũt igitur ij,qui in ſcenis verſantur hiſtriones,perſonas nonnunquam Præfectorum, Regum,& aliquando mulierum, & exiſtentium iudicium fallunt:talis eſt Draco,nunquam perſonam ſuam palam oſtendit, verum eiuſmodi perſonam gerit,qua fallere queat homines: & hic quidem hoſtis varias tuetur,ſuſtinétque perſonas,& ad ſingula vitia aptat ſingulas: ergo quis demonſtrare, quis retegere, quis in lucem, aſpectúmque proferre poſſit, intúſque latentem draconem.* Addit Olympiodorus. *Quis reuelabit, ideſt nemo,ne vno excepto.* Vide ſuprà n.17. & 18.

79. *Conſtantia martyrum.* Contra hos omnes tyrannos, & Pſeudo prophetas firma,& conſtans ſtabit ſanctorum martyrum virtus, vt latè deſcribunt Euſeb. Gallican. in Domin.2. Aduentus. Alcuinus. Alcuin.lib.3. de Trinit.c.19. Bruno. Bruno in Pſal.9.& in eundem Remig. Remig. Antiſiodor. Radulph. Flauiacenſ. lib. 18. in Leuit.1. Honor. Auguſtuenſ. ſerm. de Aduentu Dominic. explicantes de eis illud Cantic. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Aquæ multæ perſecutionum, tribulationum, deceptionum, non poterunt extinguere eorum charitatem.

Qvæstio XII.

Quare nec hic,nec illic,nec in deſerto,nec in penetralibus inuenietur Chriſtus?

80. *Ratio difficultatis.* AIt Dominus in præſenti, quod ſi à Pſeudo-prophetis dictum fuerit. *Tunc ſi quis dixerit vobis: ecce hic Chriſtus eſt; aut illic: nolite credere: ecce prædixi vobis;ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Cur Chriſtus non inuenietur in deſerto, vbi ſunt Anachoretarum agmina in vigiliis, cur non in penetralibus, vbi nos orare adhortatur?

81. D.Thom. Matth.10. Prou.1. Rationem litteralem quæſtionis dedi in expoſitione.Deinde ſic reſpondet D.Th.*Notandum,*ait, *quod vera doctrina fit in publico.* Matth.10. Quod dico vobis in occulto, dicite ſuper tecta. Prou.1. Sapientia dat vocem in plateis. *At verò falſa doctrina quærit angulos. Deſertum eſt locus occultus, quia caret hominibus, vel quia eſt intercluſus;infideles,& hæretici,dum fideles ſunt in ſocietate, vel congregatione,non poſſunt decipere,ſed nituntur, quod à ſocietate ſeparentur,& tunc decipiunt.* *Veritas publicum, mendacium abſconditum quærit.* E quidem nihil repugnat Chriſtum inueniri in eremo, aut in ſecreto domorum. Sed detegit Dominus genium Pſeudo-prophetarum, quia tum cum mendacia ſeminent, fugiunt publicum, & quærunt ſecreta, & angulos,tum etiam vt ibi fideles, à iuſtis ſeparatos facilè decipiant,& ſeducant.

82. Druthmar. Tertiò.Druthmarus c.56.in Matth. *Ecce in penetrabilibus,*ait, *id eſt ſecretis aliquibus: nolite credere: ſpiritualiter Eccleſia Catholica, ideſt vniuerſalis, non ſolummodo in Africa eſt, aut alio ſpeciali loco,vel in penetralibus hæreticorum,ſed per vniuerſum mundum: quia ideo Catholica, ideſt vniuerſalis dicitur:* Carthuſ. Carthuſ. *Verus Chriſtus ſecundum diuinitatem ſuam vbique eſt, ſecundum aſſumptam verò humanitatem in cælo; eſt quoque in medio electorum per fidem,gratiam,atque per Sacramentalem exiſtentiam.* Aperit Dominus hæreticorum genium, qui Chriſtum volunt conſtituere in aliquo particulari loco,hic, aut illic, vel in aliqua deſerti ſpelunca, ſeu in domorum penetrabilibus, vt donatus conſtituebat ſolum veram Eccleſiam in Africa;vt ergo oſtendat,quòd non vni nationi, vel Prouinciæ,ſed vniuerſo orbi ſeipſum conceſſerit, docet quòd non in loco particulari,vel aliis excluſo, ſit quærendus,cum venerit inſtar fulguris omnes illuminans. *Sicut fulgur exit ab Oriente,& parat vſque ad occidentem: ita erit aduentus filij hominis.* Vt immediatè ſubdit.

83. Eccleſ.24. Ait Diuina Sapientia Eccleſiaſt.24.n.11.*In omni gente primatum habui; quæſiui ampliſſimum principatum,*declarat, & exprimit;& ſubdit: *Et in his omnibus requiem quæſiui.* Requies, vt multi interpretes ibi adnotant iucunditatem, ac delectationem cum pace,& amicitia indicat,ideſt in omnibus his habui amicitiæ,ac pacis fœdus, in omnibúſque habui iucunditatem, ac delectationem. O præclara omnium gubernatrix diuina Sapientia, in omni gente habet principatum,& dominium, vt omnibus æqualem ſe exhibeat, & cum nullo habeat partialitatẽ, omnes habet in amicitiæ fœdere, omnéſque habet in iucunditate,ac delectatione; *Præſul ſit æqualis cum labore, & otio erga omnes.* diſcant,diſcant ex hoc paſtores, & prælati, vt non aliquos habeant in amicitia,alios in odio; aliquos in iucunditate, alios in tædio,ſed in omnibus

nibus quærant requiem amicitiæ, ac iucunditatis. Bernard. D.Bernard.ſerm.3. in feſto omnium Sanctorum: *Hæc eſt,* ait, *plane requies Domini, non intrinſeca, non circa aliquid certum reſtricta: quoniam in omnibus gaudet, & in omnibus delectatur, & in omnibus requiem quærit, & inuenit: vt & ipſa quoque in omnibus delectetur: ne aliqua iam priuata affectione contrahat rugam, ſed tranſeat in affectum quendam generalem, atque diuinum.* Vide ſuprà cap.3. n.10.11. & 12.cap.8.n.91.92.93. & cap.16. n.15. 16.17. & cap.24.n.6. & 7.cap.13.n.5. & cap.14. n.64. & cap.37. n.109. & 110.

Matth. 24. *num.*27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & parat vſque in Occidentem:ita erit & Aduentus filij hominis.

*Num.*28. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.

VERSIONES.

*Syriac.n.*27. Quemadmodum fulgur exit ab Oriente, & videtur in Occidente vſque: ita futurus eſt aduentus filij hominis.

D.Cyprian.de exhort.Mart. Sicut coruſcatio exit ab Oriente, & apparet.

Vatablus. Exit ab Oriente, & relucet vſque in Occidentem.

Arias. Ita erit præſentia filij hominis.

*Syriac.Vatabl. Pagn. n.*28. Vbicumque verò erit cadauer, ibi congregabuntur Aquilæ.

*D. Ambroſ. in Pſ.*48. Vbi ruina, ibi Aquilæ.

D.Cypr.citat. Colligentur Aquilæ.

Salmeiron ex Græco. Vbi fuerit præda, ibi congregabuntur Aquilæ.

Franc.Luc.ex Hebræo. Vbicumque fuerint occiſi.

Alter Textvs.

*Luc.*17.*n.*24. Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, in ea, quæ ſub cœlo ſunt, fulget, ita erit filius hominis in die ſua.

Num. 37. Dixit illis: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur Aquilæ.

EXPOSITIO VI.

84. S*ICVT enim fulgur.* Vt autem videatis quantum aberrant hi Pſeudoprophetæ, qui dicunt Chriſtum in aduentu ſuo eſſe hic, aut illic, aut in penetralibus,ſcitote quòd aduentus filij hominis,erit ſicut fulgur, ſeu coruſcatio. Chryſoſt. Euthym. Vnde ex D.Chryſoſtom. ait Euthym. *Sicut fulgur egreditur,& omnibus in conſpicuo eſt,nullo egens præcone,aut prænuntiante,ſed ex ipſiſſimo ſuo ſplendore minimo temporis momento vniuerſo apparet orbi. Ita quoque erit aduentus filij hominis propter magnitudinem ſui ſplendoris, omnibus ſimul apparens, & factus omnibus ipſe nuncius.* Ex quo patet, quàm propriiſſimè Chriſtus Dominus ſecundum ſuum aduentum comparat fulguri. Primò, quia fulgur ſubitò omnibus ſe exhibet;ſic & Chriſtus repentè omnibus hominibus apparebit. Secundò, quia quemadmodum fulgur maximè ſplendens omnibus fit manifeſtum, ſic & Chriſtus in ſecundo ſuo aduentu maximè fulgebit, omnibúſque erit manifeſtus. Vnde Dauid ipſum venientem ad iudicium cum fulgure comparat. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius Orbi terræ,* Pſal.96. num.3. Pſal 96. Tertiò. Sicut fulgur non in terra, ſed in aëre rutilat, ſic & Chriſtus non in terra, ſed in aëre in nubibus cœli apparebit.1.Theſſal.4.*Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* 1.Theſſ.4. Quartò. Valde efficax, & potens erit Chriſti aduentus, vt nemo ei reſiſtere poſſit. Imò ſicut fulgur ea, quæ duriora, & rigidiora ſunt magis comminuit,& conterit,ſic Chriſtus ſuperbos obduratos conteret, humiles verò adducet in gloriam. Quintò. Sicut fulgur valde exiguo temporis ſpatio apparet; ſic Chriſtus cùm ad iudicandum venerit, breuiſſima temporis mora apparebit.

Vbicumq; fuerit corpus. Altera ſimilitudine indicat Dominus ſuum aduentum valde manifeſtum futurum, itavt minimè latere poſſit,in exemplum adducens Aquilas alludens ad illud Iob 39. n.30. 85.
Vbicumq; cadauer fuerit,ſtatim adeſt. Aquilæ ex alto, ac longinquo loco, ad cadauer, ſeu prædam volant,Aquila enim ex alto,ac ex longinquo cernit,ac odoratur cadauer,ad illúdque volat; ſic ait Chriſtus, omnes fideles, & iuſti meum vltimum aduentum ad iudicium per diuinam vim præſentient,odorabuntur, ac me venientem etiam ex remotis locis cernent, ad méque volabunt, vt mea gloria in æternum feliciſſimè paſcantur, ac reficiantur, ac proinde nulla inquiſitione opus erit, an hic, vel illic ſit Chriſtus, cùm meus glorioſus aduentus omnibus ſit patens, & conſpicuus. Iob 39.

Qvæstio XIII.

Quare Iuſti, ac Sancti cum Aquilis comparantur?

AD quæſtionem reſpondet primò D. Chryſoſtom. in Imperfecto homil.49. *Ideo enim Sancti,* ait, *aquilis aſſimilantur, quia ſicut filij aquilarum ad ſolem probantur, vt ſiquidem recto aſpectu intendere potuerint contra radios Solis intelliguntur eſſe legitimi; ſi autem non potuerint, cognoſcuntur adulterini:ſic & Filij Dei ad Chriſti iuſtitiam comprobantur: ſi enim potuerint pleno corde iuſtitiæ verba ſuſcipere,intelliguntur eſſe legitimi: ſi autem non potuerint, cognoſcuntur de diabolo eſſe nati.* In hoc probantur Dei Filij inſtar Aquilarum, quod firmo, ac rectò corde Dei verba valeant ſuſcipere, ac tenere, vt ea exequutione adimpleant. 86. Chryſoſt. *Filij Dei firmi, & conſtantes in retinendis diuinis mandatis.*

Secundò. D. Ambroſ. in cap.17. Luc. Aquilæ, ait, ſe renouant, ſic & iuſti ſe renouant hic per gratiam, in futuro per gloriam, iuxta illud Pſal. 102. n.5. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Qui Dei iuſtitiam amplectitur; ſe renouat, deponens vetera, vt Chriſtum induat. 87. Ambroſ. Pſal.102.